Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 129
Quelle:
Copyright:

cum quendam ſimilem in *Comment. Epiſt. ad Galatas.* Initium: *Epiſtolę pauli ad romanos cauſa hęc eſt; Eccleſiam e duobus populis id eſt de iudeis et gentibus congregatam exęquat meritis. ut cauſas ei auferat ſimultatis* &c. et poſt 9. lineas finis: *Scito qui legis. non expoſitionem continuam eſſe dictorum. ſed ſubnotationes breues ſingulis uerſibus ac uerbis appoſitas.* Adhaeret συλλαβος Epiſtolarum *Pauli* omiſſa *Laodicena.* Tertio *Item prologus uel argumentum clementis uel hieronymi*, quod nec apud hunc, nec apud geminum *Clementem* reperi. Continet brevem recenſum Epiſtolarum hoc initio: *Omnis textus uel numerus epiſtolarum ad unius hominis perfectionem proficit* &c. et hoc poſt lineas 33. fine: *Ad philimonem de oneſſimo ſeruo. qui emendatus melior factus eſt.* Quarto *Item hieronimus: Paulum apoſtolum proferam. quem quotienscunque lego — fugam ſimulat ut occidat.* Locus eſt ex *Ep.* XLVIII. *ad Pammach.* Edit. *Vallarſ.* T. I. *col.* 221. Quinto *Incipit argumentum omnium epiſtolarum quod pelagius uel hieronimus compoſuit.* In *Bibl. gloſſat. ſuprac.* tribuitur absque haeſitatione *Hieronymo.* Quid vero, ſi re ipſa ad *ſuprac. Pelagii Commentarios* pertineret? Initium: *Primum quęritur quare poſt euangelia quę ſupplementum legis ſunt* &c. Finis: *habere meliorem et manentem ſubſtantiam.* Sexto *Incipit prologus ambroſii in apoſtolum.* Initium: *Ut rerum notitia habeatur principia rerum requirenda ſunt* &c. Finis: *exutum a lege oſtendit.* Extat T. *Ambroſii ſuprac. Append. col.* 25. Septimo demum *Incipit argumentum epiſtolę ad romanos.* Breve illud Summarium: *Romani ſunt in partibus italię* &c. quod in *Bibl. gloſſat.* et alias praefigi ſolet. Ejusmodi Summarium etiam reliquis Epiſtolis praenotatum, ſingulisque *Verſuum* numerus ad calcem adjectus eſt. Ita *ad Rom.* cenſentur *Verſus* 911. *ad Corinth.* I. 980. II. 292. &c. Similiter Epiſtolae in Particulas tributae ſunt, quarum *ad Rom.* numerat 51. *ad Cor.* I. 72. II. 68. &c. Textus vero cum Vulgatis noſtris prorſus conſonat. Ad Codicis calcem charactere, ut in omnibus ſeu titulis, ſeu ſubſcriptionibus, miniato legitur: *In honore indiuiduę trinitatis Marianus ſcottus ſcripſit hunc librum ſuis fratribus peregrinis. Anima ejus requieſcat in pace. propter deum deuote dicite. Amen. XVI. kl iunii hodie feria. VI. anno domini. M. LXXVIIII.* Per *Fratres peregrinos Marianus* Monachos *Scotos* et *Hibernos* illa aetate frequenter Continentem inviſentes deſignat, in quorum gratiam quaedam literis *Angloſaxonicis* hinc inde ad marginem adjeciſſe videtur. Ita *fol.* 10. p. 1. legitur: *Satharn caſc innocht f. X. kl. april. anno domini. m. lXXVIIII. mariani miſeri domine miſerere.* Fol. 87. p. 1. *Feil comgaill in div ſain didiñ. aimpede ſdia in dilgud domuirfo ac̄ tros.* Fol. 141. p. 1. *ann. domini m̄lXXVIIII. feil bſenain innoct ſdardain. Aimpede ſdia in dilgud domurfo ac̄ tros.* In quorum